Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25976
Copyright: Admont, Benediktinerstift

cuius invenimus. Nam visio que extrinsecus apparuit, procul dubio eum ad exteriora traxit. Apparitionis autem divine causa latentem in intimis, in eo quod dominus apparuisse dicitur in ipso fervore diei sedenti in ostio tabernaculi sui. Vides certe quia calor diei fervebat, quando ei dominus apparebat. Quis queso est iste fervor diei, nisi flagrantissimi ardentis desiderii? Amor itaque ille qui tenebras diligit, amor iniquitatis qui lucem odit, diei fervor dici non debet. Omnis enim autem qui male agit odit lucem. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem ut manifestentur opera eius, quia in deo facta sunt. Quid itaque est aliud fervor diei nisi fervidus amor veri desiderii, veri et summi boni, sub cuius fervore tunc patriarcha estuabat, qui eum denique a domesticis suis repellebat, et eum in ostio et in ostio sedere, unum vacare et videre cogebat optantem et ambientem absque dubio divine aspirationis auram percipere, desiderii quoque sui estibus illi afflatu temperare. Perpendis ut arbitror quam ille sub quanto estuabat fervor illuc eum trahebat, unde illos tres perspicere potuisset, quos utique adorandos non dubitaret. Forte si tunc domesticis suis intenderet, et tabernaculi sui intima teneret, adorandas illas personas minime vidisset, et si non vidisset, tunc ipsis forsitan non exisset. Duo quae in unum occurrunt, que egressionis illi occasionem prebuerunt, nimietas fervoris et novitas visionis. Iuxta huius rei similitudinem sepe in mente humana agitur, ut dum nimio celestis desiderii incendio uritur, aliquid ex divina revelatione videre mereatur, unde ad illos theoricos excessus adducitur.

Quod secundus excedendi modus fieri soleat ex magnitudine admirationis.

Hec in summa de illo mentis excessu dicta sunt, qui surgit ex magnitudine devotionis; nunc de illo dicendum videtur qui surgere solet ex magnitudine admirationis. Quis autem nesciat non fieri admirationem, cum aliquid cernimus preter spem et supra estimationem? Novitas itaque visionis et rei vix credibilis adducere solet admirationem mentis, quando aliquid incipit videri quod vix credi possit. Ille quoque mentis excessus qui ex admiratione oritur, attende quam convenienter describatur in eo quod dicitur: Que est ista que progreditur quasi aurora consurgens? Quid est aurora nisi nova lux, tenebrisque permixta? Unde queso admiratio nisi ex inopinato incredibilique spectaculo? Habet itaque ipsa admiratio lucem subitam tenebrisque permixtam: lucem visionis cum quibusdam reliquiis incredulitatis ambiguitatisque tenebris, ita ut miro modo mirabili mens absque dubio videat quod credere vix valeat. Sed rei novitatem quanto magis miramur, tanto diligentius attendimus, et quanto attentius perspicimus, tanto plenius cognoscimus. Crescit enim ex admiratione intentio, et ex attentione cognitio. Mens itaque velut aurora consurgit, que ex visionis admiratione paulatim ad incrementa cognitionis proficit. Aurora siquidem paulatim elevatur, elevando dilatatur, dilatando clarificatur; sed miro modo dum tandem videtur desinit, per promotionis sue incrementa ad defectum urgetur, et unde accipit ut maior sit, inde ei accedit, tandemque accidit ut omnino non sit.